



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XIII. Conclusio operis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

Conclusio operis totius.

Vnt & alia multa beati Praefulis gesta, quæ scripto comprehendendi non possunt; sed ab illo comprehensa & dinumerata sunt, qui & hic bonorum eius operam aspirator, & illic fidelis dinoscitur remunerator: qui etiam non sine causa gloriosissimum eius transitum in festiuitate S. Pauli Apostoli disposuit, sed, ut cunctorum sapientum iudicio definitum est; quia beatus ille senectutem suam in Apostolatu remotissimarum gentium pro amore Dei fatigare non dubitauit, etiam laboris sui præmium in eius solenni natalitio, quæ propriè Magister & Prædicator est gentium, percipere meruit. Dignum enim erat, ut, sicut Doctorem gentium specialius præ cæteris imitari studuit, ita etiam vnum & parem cum eo habeat natalem.

Gaudeat ergo Babebergensis Ecclesia tanti pastoris auctoritate illustrata; latentur monachorum cateruæ singularis huius patroni vigilantia, ad tantum religionis culmen prouectæ. Exultet præcipuè mons Archangeli Michaëlis tam preciosi corporis sepultura dedicatus, & ex membris eius, tanquam margaritis ornatus. Iubilet etiam in læticia cantans canticum nouum Apostolo suo omnis Pomerania; quia, ipsius gratiæ adscribitur, quod illorum Ecclesia noua semper sobole fecundatur. Impletum est in eo, quod electis veritas repromittit dicens: *Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum super-* *Isa. 61.*
bietis: & quod propter hoc, in terra sua duplicia possidebunt: læticia sempiterna erit eis. Terra enim electorum est propriè terra viuentium; vbi beatus ille duplicia possidebit, quia non solum pro commisso sibi talento in Babebergensi Ecclesia duplicato, sed etiam pro alia, quam de gentibus Christo acquisiuit sponsa, reposita est ei corona iustitiæ. Nam cum Petrus Iudæam, Paulus Græciam, Andreas Achaiam, Ioannes Asiam, Thomas Indiam, Gregorius Angliam, cæteri que Dominici gregis arietes singuli suos æterno iudici reportabunt manipulos, Otto etiam inter eos Pomeraniam gaudens adducet, & cum Præposito Paradisi Michaële, cui viuens specialius seruire non desit,

&

*Apostrophe ad
Ecclesiam Bā-
bergensem.*

Isa. 61.

& corpore etiam moriens adherere maluit, in tabernaculo Dei iugiter habitabit. Sciens enim, quia paradifum intrare non poterit, qui Præpositum eius Michaëlem placatum non habuerit, tanta se ei deuotione, & corpore & animo per omnia studuit applicare, vt literis etiam ad Apostolicum Innocentium missis, locum sepulturæ suæ in Basilica S. Michaëlis auctoritate eius firmaret; ne scilicet Canonici Maioris Ecclesiæ tam preciosum huic Monti violenter abriperent thesaurum.

Ecce quod concupiuit, iam videt; quod sperauit, tenet; illi est iunctus in caelis, quem tora mente dilexit in terris; cum quo assidua intercessione alumnis suis patrocinari dignetur, vt eum subsequi ad patriam claritatis æternæ valeamus, præstante Domino nostro IESU Christo, qui viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

In codice manuscripto subiiciuntur ista:



Explicit liber quartus & ultimus de obitu & miraculis sanctissimi & piissimi Othonis Babebergensis Episcopi Pomeranorum-que Apostoli, Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo nono, ipsa die Barnabæ Apostoli.



SER-